

## EXPERIMENTVM III.

**S**i flatum in pulmones adhuc cum Trachea connexos immittimus, possumus eqvidem eosdem egregie inflare, nihilo tamen secius brevi temporis intervallo iterum concidunt et flaccescunt. Ipsi quoque in campanam antliae pneumaticae suspensi, aëre exantlato simili modo, atque vesica aëre repleta expanduntur, et continuata exantlatione, spumam e bronchiis emittunt, quae tamen admisso aëre illico in bronchia iterum descendit.

## EXPOSITIO.

**C**onfirmare videtur haec demonstratio, pulmonum viscus esse permeabile, et in se semper aliqvid aeris continere. Quapropter aliquando in statu hominis morboſo instar spongiae se habet, totam pectoris cavitatem, impuritates in eadem contentas absorbendo, expurgantibus. Saepenumero enim evenire solet, ut ab injuria externa, contusione, vulneratione, dilaceratione, vel etiam phthisi pulmonali consummata, fiat materiae purulenta in pectore collectio, quam Empyema appellare solemus. Hanc purulentam materiam adhibitis remediis resolventibus atque expectorationem promoventibus, egregie per intermedium porosam et permeabilem pulmonum substantiam, ex corporis finibus exterminamus. Pulmones enim in inspiratione dilatati omnem Thoracis amplitudinem exactissime replent, ita ut etiam in vulneratis per vulnus pectoris summo cum impetu plerumque prorumpant.

EXPE-

26310